

to die mala est, nisi aliquid boni coinciderit. Hipp. in Coac. Proinde, quædam morbum solvunt, salutemq; pronuntiant, quædam etiam periculum & perniciem portendunt. Sputum quod ex pectore fit, minus periculosum est, quam quod ex pulmone. Sanguinis è pulmone, rejectio, quæ infra tres dies non curatur, superveniente phlegmone vel phthisi, incurabilis redditur. Gal. 5. de loc. aff. c. 8. Hæmorrhagiam uteri ingentem ac lethalem, tam ex abortu, quam ex apertione vasorum, ultra 9. menses perdurante, probè observavit Forest. In hæmorrhoidibus, fluxu hepatico, dysenteria ac vulneribus, idem accidit, ab Autorib. quàm sæpissimè fuit annotatum.

III. RATIONE CAUSÆ. DIAPYCNOSIS minimè omnium periculosa est, & adstringentib. sanguis facilè sistitur, ratione v. accidentis mala est, quia sanguis tenuis cachexiam indicat. ANASTOMOSIS difficiliùs curatur. Ob hanc si sanguis rejicitur, is spontè sæpè, in copiâ evacuatus, subsistit, osculis spontè iterum sese occludentibus. Observatumq; sæpiùs in consueto sanguinis, narium, hæmorrhoid. mensium fluxu suppresso, superabundantem copiam, absq; ullo damno per *αναδρομήν*, ex aliis partibus, osculis vasorum reclusis, fuisse evacuatam. Sic quibusdam juvenibus narium hæmorrhagiæ obnoxiiis, postquam venerem agnoscere cepissent, cessavit narium hæmorrhagia, factaq; est per pulmones revulsio, & sanguis per easdem vias, quibus prius rupta vomica, ad renes deductus est, perq; urinas effusus, fiebatq; per anastomosis, at non sine periculo, ut testatur Durerus. Et Hipp. 1. 5. aphor. 33. Mulieri inquit, mēstruis p. n. deficientibus, sanguis è naribus profluens, bono est. Fitq; hoc ob consensum uteri cum syncipite, rationes sunt scriptæ 6. Epid. circa initia. Si tamen oscula vasorum vel nimium dilatata, vel motu continuo impulsa, iterum connivere nequeant, interdum ex nimia, sanguinis præsertim acris profusione, mors sequitur. Anastomosis v. quæ à crisi, h. e. à naturâ propriis virib. operante fit, bona est, præsertim in febre ardente, phrenitide, & viscerum inflammatione.

DIAPYCNOSIS periculosissima est, & ex toto, in magno vase,

B 2

vase,